

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. V - N. 2

1973

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1973

EX ACTIS PAULI PP. VI

Litterae Apostolicae

Quo aptius 117

Allocutiones

- I. *Em.mis Patribus et Exc.mis Praesulibus e Consilio Secretariae generalis Synodi Episcoporum, qui Conventui Romae habito interfuerunt* 121
- II. *Ad participes Congressus internationalis Iuris Canonici penes Universitatem Catholicam a S. Corde Mediolani habiti* 123

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Secretaria Status

Rescriptum ex audientia de competentia circa causas inconsummationis matrimonii 132

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

- I. Declaratio circa Catholicam Doctrinam de Ecclesia contra nonnullos errores hodiernos tuendam 132
- II. Decretum de sepultura ecclesiastica 145

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum - Sacra Congregatio pro Clericis

Declaratio de praemittendo sacramento Poenitentiae primae puerorum Communioni 146

Sacra Congregatio pro Cultu Divino

- I. Normae circa Patronos constituentes 147
- II. Litterae circulares ad Conferentiarum Episcopaliū Praesides de Precibus eucharisticis 150
- III. Decretum de sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam 159

Sacra Paenitentiaria Apostolica

Decretum quo statuitur opus requisitum ad lucrandum « donum Indulgentiae » in variis Ecclesiis localibus Anni Sacri occasione 167

Secretariatus ad Christianorum Unitatem Fovendam

De interpretanda Instructione de peculiaribus casibus admittendi alios Christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia Catholica, die 1 mensis Iunii 1972 edita 168

Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis

Responsa ad proposita dubia 172

ACTA COMMISSIONIS

- I. Index Em.morum Cardinalium Commissionis Sodalium 175
- Index Commissionis Consultorum 179
- Index Coetuum studiorum 189
- II. Litterae Card. Praesidis ad Conferentias Episcopales circa Schema documenti quo disciplina sanctorum seu poenarum in Ecclesia Latina ordinatur 195
- III. Opera Consultorum in parandis canonum Schematibus
 1. De Lege Ecclesiae Fundamentali 196
 2. De Clericis - De Sacra Hierarchia 216
 3. De procedura administrativa 235

DOCUMENTA

In Congressu Internationali Iuris Canonici penes Universitatem Catholicam a S. Corde celebrato Card. Praeses inauguralem orationem habet 244

NOTITIAE 252

INDICES

Indices anni 1973 255

Index locorum e Sacra Scriptura citatorum 257

Index locorum ex Concilii Vaticani II textibus citatorum 258

Index canonum Codicis Iuris Canonici citatorum 260

Index nominum personarum 262

Index rerum generalis 265

De alicuius Consultoris sententia distinctio trium munerum non est adaequata nec completa.

Alius: munera sunt in Ecclesia, et exercentur a Hierarchia, functiones vero per quas munera ad effectum deducuntur sunt diversae.

Alius: textus loquatur de muneribus Ecclesiae, sed prae oculis habendum est munera in Ecclesia diversimode exerceri, quapropter cavendum est ne ex. gr. in textu « Ecclesia » identificari videatur cum « Hierarchia ». Consideretur quoque oportet doctrinam de tribus muneribus ortam esse duobus adhuc saeculis et originem ducere ex doctrina protestantica.

Alius denique Consultor: doctrina de tribus muneribus utilitatem forsitan habere potest in theologia, sed cum methodo iuridica iuxta quam LEF redigenda est minus apte congruit, quapropter expedire videtur ut hoc criterium divisionis derelinquatur. Huic sententiae accedunt alii Consultores.

Expleta disceptatione de proposita quaestione, Cardinalis Praeses dicit se relaturum esse ad Romanum Pontificem de omnibus quae hac in sessione studii facta sunt: et iuxta ipsius mandata labores Commissionem esse prosequuturam. (I. Herranz, *Actuarius*).

II


DE CLERICIS - DE SACRA HIERARCHIA

Hucusque in relationibus de opere consultorum huius coetus traditus est conspectus canonum propositorum de clericorum adscriptione seu incardinatione, de obligationibus et iuribus clericorum necnon de amissione status clericalis,¹ itemque conspectus canonum qui proponuntur de circumscriptionibus ecclesiasticis atque de Conciliis particularibus et Episcoporum Conferentiis.²

Modo brevis exponitur conspectus canonum qui proponuntur de Episcopis atque de Curia dioecessana, de Consilio presbyterali et Consilio pastoralis, de Capitulo canonicorum necnon de sede impedita aut vacante. Postea, in subsequenti relatione, agatur de Synodo dioecessana, de parochis, de vicariis paroecialibus et de decanis.

¹ Cfr. *Communicationes*, 3, 1971, pp. 187-197.

² Cfr. *Communicationes*, 4, 1972, pp. 39-50.



I.

DE EPISCOPIS

Tres sub hoc titulo habentur partes, quae agunt de Episcopis in genere et normas continent per se omnibus Episcopis communes, de Episcopis dioecesanis atque de Episcopis coadiutoribus et auxiliariis.

1. DE EPISCOPIS IN GENERE

1. *Notiones*. Imprimis aliquae traduntur de Episcopis deque munere episcopali notiones generales, innixae quidem doctrina a Concilio Vaticano II tradita in Constitutione dogmatica « Lumen gentium », nn. 19-22, atque Decreto « Christus Dominus », nn. 2 et 4.

In priore canone, in § 1 generalis traditur definitio, et quidem his verbis: « Episcopi, qui ex divina institutione in Apostolorum locum succedunt, per Spiritum Sanctum qui datus est eis, in Ecclesia Pastores constituuntur ut sint et ipsi doctrinae magistri, sacri cultus sacerdotes et gubernationis ministri ». Statim additur fundamentum eorum muneris esse consecrationem episcopalem, scilicet: « Episcopi ipsa consecratione episcopali recipiunt cum munere sanctificandi, munera quoque docendi et regendi, quae tamen natura sua nonnisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exercere possunt » (Cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 21).

De munere episcopali in genere dein norma proponitur generalis, desumpta ex Decreto « Christus Dominus », n. 4, scilicet: omnes Episcopi uniti in Collegio munus episcopale exercent quoad universam Ecclesiam, in communione et sub auctoritate Summi Pontificis; singuli vero Episcopi quoad assignatas sibi dominici gregis partes illud exercent, per se unusquisque in Ecclesia particulari suae curae commissa, quandoque vero aliqui coniunctim necessitatibus quibusdam diversarum Ecclesiarum communibus providentes.

Episcopi distinguuntur *dioecesani* — in iure Codicis I. C. dicuntur residentiales, nunc autem dicendi sunt dioecesani (cfr. Decr. *Christus Dominus*, cap. II, n. 1) — et *titulares*, scilicet quibus dioecesis non est concredita: qui iterum distinguuntur ei qui officium in certa dioecesi explent, scilicet Episcopus *coadiutor* aut Episcopus *auxiliaris*, et alii, *simpliciter titulares*, qui aliud munus explent, sive in bonum alicuius Ecclesiae vel diversarum insimul Ecclesiarum particularium sive in bonum universae Ecclesiae.

2. *Designatio personae Episcopi*. Haec fieri potest: a) libera nominatione a Romano Pontifice, habita quidem praevia consultatione: haec est forma iuris communis; b) electione legitima, et confirmatione a Romano Pontifice. Secundum normam traditam a Concilio Vaticano II, nulla in posterum iura et privilegia nominationis, praesentationis vel designationis Episcoporum civilibus auctoritatibus conceduntur (cfr. *Decr. Christus Dominus*, n. 20).

Ad consultationem in ordine ad Episcoporum nominationem quod attinet, quaedam in iure recognito traduntur normae, quibus partes determinantur praesertim Episcoporum Conferentiarum atque Episcoporum dioecesanorum provinciae ecclesiasticae in qua sita est dioecesis de qua agitur.

a) Pro omnibus Episcopis imprimis haec datur regula. Quotannis elenchum virorum ecclesiasticorum sui territorii, quos aptiores ad Episcopatus officium aestimant, Sedi Apostolicae mittant singulae Episcoporum Conferentiae regionum ecclesiasticarum, inspecto elencho nominum ab Episcopis dioecesanis singularum provinciarum ecclesiasticarum regionis proposito; illum elenchum etiam componant Episcoporum Conferentiae provinciarum ecclesiasticarum, quae alicui regioni non sunt adscriptae; praeterea, ubi adiuncta id suadeant, de licentia Apostolicae Sedis, eundem elenchum componant, non Episcoporum Conferentiae regionum, sed Episcopi dioecesani provinciae in qua sita est dioecesis de qua agitur.

b) Ad nominationem *Episcoporum dioecesanorum* aut *coadiutorum* quod spectat, haec altera proponitur regula. Nisi aliter pro certis regionibus legitime provisum fuerit, quoties nominandus est Episcopus dioecesanus aut coadiutor, Episcopi dioecesani provinciae ecclesiasticae in qua sita est dioecesis de qua agitur elenchum trium saltem virorum ecclesiasticorum qui ad officium episcopale magis idonei videantur Sedi Apostolicae mittant. Hunc vero elenchum ut componant, iidem Episcopi secreto sententiam exquirere possunt certorum presbyterorum vel etiam laicorum sapientia praestantium; haec vero sententia tantummodo agere potest de necessitatibus dioecesis et de dotibus specialibus personae ad officium episcopale in eadem dioecesi implendum requisitis.

c) Ad nominationem *Episcoporum auxiliarium* quod attinet, et nisi aliter provisum fuerit, Episcopus dioecesanus Sanctae Sedi proponat elenchum trium saltem presbyterorum ad hoc officium aptiorum, atque, si hic elenchus alia complectatur nomina quam ea quae ab Episcoporum Conferentia probata sunt, addatur sententia ceterorum Episcoporum dioecesanorum provinciae ecclesiasticae.

3. *Missio canonica Episcopi.* Requiritur haec missio canonica ut potestas quam episcopali consecratione recepit fiat expedita sive ad officium Episcopi dioecessani sive ad aliud officium quod ipsi committitur.

Ut in Codice I. C. (can. 333) requiritur ut promotus ad Episcopatum intra tres menses ab acceptis apostolicis litteris consecrationem episcopalem recipiat; additur autem eundem hanc consecrationem recipere debere antequam officii sui possessionem capiat.

4. *Dotes in futuro Episcopo requisitae.* Dotes quae requiruntur eae sunt quae in Codice I.C., can. 331, indicantur. Attamen, non amplius affirmatur quod, ut quis ad officium episcopale sit idoneus, debet esse natus ex legitimo matrimonio, non autem legitimatus etiam per subsequens matrimonium (can. 331, § 1, n. 1). Generali statuto requiritur ut sit bona existimatione gaudens. Iudicium quidem de idoneitate ad Apostolicam Sedem unice pertinet, et huius auctoritatis erit iudicare utrum candidatus bona existimatione gaudeat, et quidem omnibus adiunctis, etiam familiaribus, inspectis. Altera ex parte proponitur in schemate ut aetas ad idoneitatem requisita sit saltem triginta quinque annorum.

5. *Iura et privilegia omnium Episcoporum.* Haec iura et privilegia enumerantur attentis normis Codicis I. C. atque facultatibus omnibus Episcopis concessis Litteris Apostolicis « Motu Proprio » datis « Pastorale munus », d. 30 nov. 1963, sub n. II.³

2. DE EPISCOPIS DIOECESANIS

1. *Definitio.* Episcopi dioecessani imprimis traditur generalis notio, hisce quidem verbis: « Episcopus dioecessanus, cui nempe alicuius Ecclesiae particularis cura commissa est, in communionem hierarchicam cum Capite et membris Collegii Episcoporum, tanquam proprius, ordinarius et immediatus eius pastor, populum sibi concreditum in nomine Domini pascit, munus docendi, sanctificandi et regendi, in eum exercens, ad normam iuris ». Quoad substantiam remanet praescriptum Codicis, can. 334, § 2.

2. *Dioecesis possessionis captio.* Imprimis proponitur norma, vi cuius promotus ad officium Episcopi dioecessani debet canonicam suae dioecesis possessionem capere, si non iam sit consecratus intra quattuor menses a receptis apostolicis litteris, si iam sit consecratus intra duos menses ab eisdem receptis.

³ Cfr. A.A.S. 56, 1964, pp. 5-12.

Ad modum quod attinet, quo possessionem suae dioecesis capit, alia pro parte saltem est norma proposita quam praescriptum can. 334, § 3 Codicis I. C. In norma recognita duplex distinguitur casus: *a)* si agitur de dioecesi iam antea existente, scilicet non noviter erecta, Episcopus possessionem capit simul ac in ipsa dioecesi, per se vel per procuratorem, litteras apostolicas ostenderit Collegio consultorum⁴ aut, ubi Capitulo cathedrali competat ius eligendi aut praesentandi Episcopum, Collegio consultorum una cum Capitulo, in unum coadunatis; *b)* si agitur de dioecesi noviter erecta, Episcopus possessionem capit simul ac easdem litteras ostenderit clero populoque in cathedrali ecclesia praesenti.

3. *Episcopi dioecesani munera et potestas.* Imprimis aliqui canones agunt de Episcopi dioecesani *munere et potestate in genere*. Eius munus et potestas definitur generalibus verbis quae habentur in Decreto « Christus Dominus », n. 8, a, atque generales etiam traduntur normae de sollicitudine quam habere debet christifidelium suae curae commissorum, fratrum seiunctorum, immo et non-baptizatorum; magis peculiares normae respiciunt sollicitudinem qua prosequi debet presbyteros suos, curam quam habere debet vocationum necnon sollicitudinem in agnoscenda laicorum in missione Ecclesiae propria parte.

De Episcopi dioecesani *variis muneribus in specie* deinde agitur, scilicet de munere docendi, de munere sanctificandi et de munere regendi.

1) *Munus docendi* Episcopi dioecesani imprimis respicit fideles suae curae commissos, quibus scilicet frequenter per se ipse praedicare tenetur quibusque ut universa doctrina christiana tradatur curare debet. Quia vero Episcopus una cum ceteris Episcopis omnium Ecclesiarum sit sponsor, adiutricem operam praestare debet ut verbum Dei omnibus gentibus nuntietur. Omnibus mediis curare debet ut integritatem et unitatem fidei credendae firmiter tueatur, iustam tamen libertatem agnoscens in veritatibus ulterius perscrutandis.

2) *Munus sanctificandi* Episcopi dioecesani imprimis inducit eius obligationem promovendi christifidelium sanctitatem, curandi ut christifideles ipsius curae commissi Sacramentorum receptione in gratia crescant utque praesertim paschale mysterium penitus cognoscant et vivant. Ad hoc munus etiam pertinet eius obligatio applicandi Missam pro populo ipsi commissio, singulis diebus dominicis aliisque diebus festis in eius regione de praecepto. Tandem huius muneris ratione obli-

⁴ De hoc Collegio consultorum, cfr. infra, n. III, 4, p. 230.

gatione tenentur invigilandi ut vita liturgica in Ecclesia sibi commissam quam maxime foveatur atque ordinetur, attentis Apostolicae Sedis et Episcoporum Conferentiae regionis praescriptis. Huius muneris ratione requiritur quoque ut frequenter in ecclesia cathedrali aliave suae dioecesis ecclesia cultui liturgico, praesertim eucharistico, praesit, in festis praecipue de praecepto aliisque sollemnitatibus in quibus partem habet notabilis populi pars (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 41).

3) *Munus regendi* Episcopi dioecesanum deinde definitur, et quidem modo magis distincto, ut videtur, quam in can. 335 Codicis I. C., atque attentis Concilii Vaticani II praescriptis.

a) Ad munus regendi Ecclesiam particularem sibi commissam, Episcopo dioecesano competit omnis quae ad eiusdem Ecclesiae regimen requiritur potestas, tum *legislativa*, tum *executiva*, tum *iudicialis*, iis quidem exceptis in causis quae ad normam iuris auctoritati Ecclesiae supremae aliave auctoritati reservantur. Secus ac in Codice I. C., distincte determinatur cuinam in Ecclesia particulari competit potestas legislativa, potestas executiva atque potestas iudicialis. Re quidem vera inter principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant, quae quidem Synodo Episcoporum, in eiusdem primo generali coetu, anno 1967, sunt proposita et ab eadem probata, affirmatur principium, vi cuius clare distinguantur oportet diversae functiones, videlicet legislativa, administrativa et iudicialis, atque apte definiatur a quibusnam organis singulae functiones exerceantur.⁵ Itaque in proposito Codicis recogniti iure haec enuntiantur quae sequuntur: potestatem legislativam in dioecesi exercet unus Episcopus dioecesanus, sive in Synodo dioecesana sive extra eandem; potestatem executivam exercet idem Episcopus sive per se sive per vicarios generales et episcopales; potestatem iudicalem exercet aut per se, aut per Officialem et iudices ad normam iuris constitutos.

b) Affirmatur etiam Episcopum dioecesanum *in omnibus negotiis iuridicis dioecesis, huius personam gerere*. Necessaria est haec norma, quae quidem in Codice I. C. deficit.

c) Ad regimen dioecesis etiam pertinet obligatio qua tenetur Episcopus dioecesanus tuendi Ecclesiae universae unitatem, promovendi in dioecesi disciplinam cunctae Ecclesiae communem ideoque legum ecclesiasticarum observantiam, atque invigilandi ne abusus in ecclesiastica

⁵ Cfr. Pontificia Commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, Civitas Vaticana 1967, p. 14.

disciplina irrepant. Ubi vero de eiusdem cura tractatur respectu legum Ecclesiae universae, affirmatur etiam potestas quae ipsi a Concilio Vaticano II agnita est dispensandi a legibus Ecclesiae universalibus;⁶ quae potestas in proposito iure recognito magis determinatur, immo et aliquatenus extenditur. Hae itaque proponuntur normae: 1. Episcopus dioecesanus, in disciplinaribus legibus, *tam universalibus quam particularibus a suprema Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis*, quae bonum spirituale fidelium *directe* intendunt, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet in casibus particularibus fideles in quos ad normam iuris (citatur canon de dispensationibus) auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet; 2. Attamen dispensare nequit in iis legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliave auctoritati specialiter reservatur.

4. *Episcopi dioecesani obligationes.* Praecipuae eius obligationes cum eius muneribus cohaerent; de iis iam tractatum est in canonibus quibus Episcopi munera docendi, sanctificandi et regendi determinantur. Ad eiusdem vero officium in genere aliae spectant obligationes, quae in canonibus propositis indicantur et modo breviter enumerantur.

1. Erectio *Consilii presbyteralis*, et, quantum adiuncta id sinant, *Consilii pastoralis*: Episcopi est curare ut actiones Consiliorum coordinentur.

2. Promotio et coordinatio variarum rationum et operum apostolatus in dioecesi.

3. Promotio consociationum christifidelium quae fines spirituales prosequuntur, sive, ubi id expediat, eas erigendo, sive quas christifideles libera inter se conventionione inita condunt et moderantur fovendo et sustinendo.

4. Cura ut omnia incepta atque instituta catechetica, missionalia, caritativa aliave finem pastorem persequentia ad concordem actionem redigantur.

5. Residentia in dioecesi: de hac servantur normae Codicis, utique aptatae: norma ita proponitur vi cuius non ultra duos intra annum menses a dioecesi abesse potest.

6. Obligatio dioecesis vel ex toto vel ex parte quotannis visitandae remanet uti in Codice I. C., can. 343-346, quibusdam tamen mutatis.

⁶ Cfr. Decretum *Christus Dominus*, n. 8, b; PAULUS PP. VI, Litterae « Motu Proprio » datae *De Episcoporum muneribus*, 15 iunii 1966: *A.A.S.* 58, 1966, pp. 467-472.

7. Obligatio singulis quinquenniis relationem super statu dioecesis exhibendi Summo Pontifici: quinquennia sunt fixa, atque pro Episcopis singularum regionum ecclesiasticarum ab Apostolica Sede determinantur; iamvero in ipso Codice non indicantur.

8. Obligatio tandem visitationis ad limina: de hac quoque servantur praescripta Codicis I. C., can. 340-342.

5. *Renuntiatio ab officio*. Introducitur in Codice norma innixa praescripto edito a Concilio Vaticano II, in Decreto « Christus Dominus », n. 21, quod confirmatum est Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », d. 6 aug. 1966,⁷ I, n. 11. Vi huius normae, Episcopi dioecesani alique ipsis iure aequiparati, qui septuagesimum quintum aetatis annum expleverint debent renuntiationem ab officio exhibere Summo Pontifici, qui, omnibus singulorum casuum inspectis adiunctis, providebit. Huic normae accedunt alia praescripta quae hac de re habentur in dicto Motu Proprio « Ecclesiae sanctae ».

3. DE EPISCOPIS COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS

1. *Definitiones*. Episcopus *coadiutor* est Episcopus, qui *cum iure successionis*, constituitur in Episcopi dioecesani adiutorium, cum certis in adiunctis peculiaris necessitas dioecesis id postulet (cfr. Decretum « Christus Dominus », n. 26).

Episcopus *auxiliaris* est Episcopus qui, *sine iure successionis*, constituitur cum bonum dioecesis id suadeat, si nempe ob dioecesis amplitudinem vel magnum incolarum numerum, aut ob peculiaris apostolatus adiuncta aliasve rationes, Episcopus dioecesanus omnia episcopalia munia debite adimplere nequeat (ibidem, n. 26).

2. *Quaenam necessitas eos constituendi*. Secundum praescripta Decreti « Christus Dominus », nn. 25-26, requiritur ut Episcopus dioecesanus, prout bonum animarum id exigat, expostulet ut constituentur unus vel plures Episcopi auxiliares, aut, si peculiaris adiuncta id exigat, Episcopus coadiutor.

3. *Obligationes et iura*. In definiendis his iuribus et obligationibus, ratio habetur praescriptorum quae habentur in Decreto « Christus Dominus », nn. 25 et 26, et in Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 13. Affirmatur imprimis ipsis esse obligationes et iura quae in litteris

⁷ Cfr. A.A.S. 58, 1966, pp. 757-787.

apostolicis eorum constitutionis definiuntur. Affirmatur deinde obligatio Episcopi dioecesiani conferendi Episcopo coadiutori officium vicarii generalis, atque conferendi Episcopo auxiliari vel Episcopis auxiliaribus officium sive vicarii generalis sive saltem vicarii episcopalis. Praeterea asseritur ab Episcopo dioecesano prae aliis Episcopo coadiutori committenda esse ea quae ex iure requirunt speciale mandatum. De obligatione Episcopi coadiutoris necnon Episcoporum auxilium agitur quoque ita munia sua exercendi ut in negotiis gerendis unanimi consensione cum Episcopo dioecesano procedant. Retinentur tandem praescripta Codicis I. C., can. 351, § 3 et 4, vi quarum una ex parte Episcopus coadiutor et Episcopus auxiliaris, iusto impedimento non detenti, tenentur, quoties ab Episcopo dioecesano fuerint requisiti, pontificalia et alias functiones obire, ad quas Episcopus dioecesanus tenetur, et alia ex parte ipsis ab Episcopo prae aliis esse committendum exercitium iurium et functionum episcopalium, quae possunt et volunt exercere.

4. *Eorum status sede vacante.* Episcopus coadiutor, dummodo quidem legitime possessionem sui officii ceperit, cum vacet sedes episcopalis, statim fit Episcopus dioecesanus. Ad Episcopum *auxiliarem* quod attinet, sede vacante, non amplius est vicarius generalis aut episcopalis, sed servat potestates quibus sede plena ut vicarius generalis aut episcopalis gaudebat. Cum autem novus Episcopus dioecesanus possessionem legitime ceperit dioecesis, auxiliares Episcopos sine mora debet constituere vicarios generales aut saltem episcopales.

5. *Renuntiatio ab officio.* Ad hanc renuntiationem quod spectat, Episcopo coadiutori necnon Episcopo auxiliari applicatur praescriptum vigens de Episcopo dioecesano, supra relatum.⁸

II.

DE CURIA DIOECESANA

I. Praescripta generalia imprimis de Curia dioecesana habentur. II. Sequuntur deinde praescripta specialia, scilicet: 1. De Vicariis generalibus et episcopalibus; 2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali; 3. De examinadoribus dioecesanis; 4. De Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo. Hoc quidem Consilium a rebus oeconomicis novum est institutum quod proponitur in Curia dioecesana introducendum.

⁸ Cfr. supra, p. 223.

I. PRAESCRIPTA GENERALIA

1. *Definitio.* Generalior et aptior, ut videtur, traditur Curiae dioecesanae definitio in priore canone, qui substituitur textui can. 363 Codicis I. C. Definitio est haec quae sequitur: Curia dioecesana constat illis institutis et personis quae Episcopo aliive qui loco Episcopi dioecesi praest, operam praestant in regimine pastoralis universae dioecesis; ad eam pertinent instituta et personae quae deputantur ut in actione pastoralis dirigenda, in administratione dioecesis curanda necnon in potestate iudiciali exercenda partem aliquam habent. De *nominatione* eorum qui officia in Curia dioecesana exercent et de *requisitis* quibusdam generalibus, servantur quoad substantiam praescripta quae in Codice I. C. habentur in can. 364.

2. *Norma generalis de praescriptis applicandis.* Loco praescripti quod habetur in can. 365 Codicis I. C., clarius proponitur norma, videlicet: De causis atque personis quae in Curia ad exercitium potestatis iudicialis se referunt, servantur praescripta can. 1573-1593 Codicis; de iis quae ad administrationem dioecesis spectant, servantur praescripta canonum qui sequuntur.

3. *Novae quaedam normae proponuntur.* Novae quaedam normae generales introductae sunt de Curia dioecesana, quae quidem omnino necessariae videntur, et quarum aliquae respondent praxi in non paucis dioecesibus iam esistenti.

1. *Coordinatio laborum* omnium quae ad universae dioecesis administrationem pertinent requiritur. Ipsius quidem Episcopi dioecesani est curare ut eidem labores debite coordinentur. Per se ipsum debet coordinare labores qui ad exercitium pertinent munerum quae Vicario generali vel Vicariis episcopalibus sunt commissa; attamen, Episcopo absente aut impedito, hoc officium coordinationis adimplere potest Vicarius generalis qui Caput est Curiae aut qui ab Episcopo ad hoc est designatus.

2. *Consilium episcopale* constituere potest Episcopus dioecesanus, si id expedire iudicet ad ordinatum dioecesis regimen. Hoc Consilium, — quod de facto iam in multis dioecesibus adest — constat Vicariis generalibus, Vicariis episcopalibus atque aliis quibusdam personis ab Episcopo eligendis.

3. *Caput Curiae* nominandus est in unaquaque dioecesi. Huius constitutio necessaria videtur, ut revera coordinatio omnium laborum,

sub Episcopi dioecesanī auctoritate, ad effectum deducatur. Remanet autem ut, iuxta praescriptum supra relatum, Episcopus dioecesanus ipse per se debeat coordinationem curare laborum quae ad munera pertinent Vicariorum generalium et episcopalium. Generalis regula de persona ad hoc officium nominanda haec proponitur: nisi adiuncta iudicio Episcopi aliud suadeant, ut Caput Curiae nominetur Vicarius generalis aut, si plures sint, unus ex Vicariis generalibus.

4. *Acta Curiae* quae effectum iuridicum habere nata sunt, ad validitatem *subscribi debent* ab Ordinario a quo emanant, atque insuper, non quidem ad validitatem, a Curiae cancellario.

II. PRAESCRIPTA SPECIALIA

1. *De Vicariis generalibus et episcopalibus*

1. *Definitiones.* Vicarius generalis potestate ordinaria, — quae infra determinabitur, — instructus est ad normam canonum ut Episcopo adiutorio sit in universo dioecesis regimine. Vicarius episcopalis eadem gaudet potestate ordinaria qua pollet Vicarius generalis, sed non pro universo dioecesis regimine: eadem gaudet tantummodo aut in determinata dioecesis parte territoriali aut in certo negotiorum genere aut quoad fideles determinati ritus certive personarum coetus (cfr. Decretum *Christus Dominus*, n. 27).

2. *Eorum constitutio.* Vicarius generalis in unaquaque dioecesi constitui debet; pro regula generali unus constituatur, sed si rationes id suadeant pastorales, plures constitui valent. Vicarius episcopalis constitui non debet, sed, quoties rectum dioecesis regimen id requirat, unus aut plures constitui possunt. Cum sub auctoritate Episcopi dioecesanī adiutorium praestent in dioecesis regimine et sint quasi « alter ego » Episcopi, libere ab Episcopo dioecesano nominantur, salvis quidem praescriptis, iam supra relatis, de Episcopo coadiutore et auxiliari. Attamen Vicarius episcopalis, qui non sit Episcopus auxiliaris, nominetur tantum ad tempus, in ipso constitutionis actu determinandum (cfr. Motu Proprio *Ecclesiae sanctae*, I, n. 14, § 5). Vicario generali aut episcopali absente aut impedito, Episcopus dioecesanus alium constituere potest, qui eius vices suppleat. Ad dotes quae requiruntur ut quis constituatur Vicarius generalis aut episcopalis quod attinet, servantur plerumque praescripta can. 367 Codicis I. C. Ad Vicarium tamen episcopalem quod spectat, haec proponitur norma: Vicarius episcopalis eligatur sacerdos saecularis dioecesis pro qua constituitur; attamen, qui pro certo nego-

tiorum genere, aut pro personis determinati ritus vel coetus constituitur, si id expedire videatur, potest etiam eligi sacerdos alterius dioecesis aut religiosus.

3. *Eorum potestas.* Rectius et distinctius quam in Codice I. C., in can. nempe 368, haec potestas definitur. Re quidem vera, in can. citato Codicis affirmatur Vicario generali, vi officii eam competere in universa dioecesi iurisdictionem in spiritualibus ac temporalibus, quae ad Episcopum iure ordinario pertinet, exceptis iis quae Episcopus sibi reservaverit, vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum. Iam vero, certum est Vicarium generalem, secundum ius Codicis I. C., non gaudere potestate legislativa, quae quidem soli Episcopo dioecesano competit, itemque eundem Vicarium generalem, uti talem, non pollere potestate iudiciali, quae quidem Officiali competeit. Rectius igitur modo affirmatur Vicario generali, vi officii, in universa dioecesi competere, in spiritualibus et temporalibus, *potestatem executivam*, ad ponendos scilicet omnes actus administrativos, iis tamen exceptis quae Episcopus sibi reservaverit vel quae ex iure requirant speciale Episcopi mandatum. De Vicario episcopali etiam logice affirmatur eidem eandem competere potestatem executivam, sed quoad determinatam territorii partem aut negotiorum genus aut in fideles determinati ritus aut coetus tantum, pro quibus constitutus est. Item affirmatur ad Vicarium generalem et Vicarium episcopalem, intra ambitum suae competentiae, pertinere etiam facultates habituales ab Apostolica Sede Episcopo concessas, necnon rescriptorum executionem, nisi aliud expresse cautum fuerit aut electa fuerit industria personae Episcopi dioecesani. Re quidem vera, facultates habituales et rescriptorum executio ad potestatem pertinent executivam. Quoad substantiam tandem servatur praescriptum can. 369 Codicis I. C.

4. *Cessatio potestatis Vicarii generalis et episcopalis.* Servatur praescriptum quod in Codice, can. 371 habetur de Vicario generali, sed salvatur praescriptum, vi cuius, uti supra relatum est, vacante sede episcopali, Episcopi auxiliaries retinent potestatem, quam sede plena tantquam Vicarii generales aut episcopales habebant.

2. De cancellario aliisque notariis et archivo episcopali

Ad cancellarii aliorumque notariorum constitutionem quod attinet, itemque ad dotes requisitas atque ad eorundem munus quod spectat, servantur quoad substantiam praescripta quae in Codice I. C. habentur,

in can. 372-374. Item quoad substantiam servantur Codicis I. C. canones 375-384 de archivo dioecesano et de archivo secreto necnon de obligatione Episcopi dioecisani curandi ut acta et documenta archivorum ecclesiasticorum cathedralium, collegiatarum, paroecialium, necnon personarum iuridicarum publicarum et piorum locorum diligenter servantur atque inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplis, quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servandum est. Multa tamen praescripta horum canonum ad simpliciores formam rediguntur.

3. *De examinadoribus dioecisani*

De sententia omnium huius coetus consultorum, supprimi possunt Codicis praescripta de parochis consultoribus, quorum quidem munus deinceps a Consilio presbyterali adimpleri potest. Sane, ut animadversum est, opportunum certo est ut in Consilio presbyterali aliqui designentur sacerdotes consultores, quos Episcopus audiat quoties de nominatione ad aliquod munus agitur. Hac necnon alia de ratione, ex membris Consilii presbyteralis constituendum est ab Episcopo Collegium consultorum, de quo infra agetur.⁹

Ab aliquo consultore mota est quaestio utrum imponi debeat constitutio singulis in dioecisibus alicuius Commissionis theologiae vel doctrinalis. De plerumque vero sententia, omnino convenit ut talis Commissio instituat, sed res committenda videtur Episcopo.

De *examinadoribus dioecisani* quaedam, pauca quidem, habentur praescripta. In unaquaque dioecesi constitui debent, numero ab Episcopo requisito, qui operam praestent in experimentis ad provisiones canonicas requisitis necnon in quibusdam processibus (de quibus in Codice I. C., can. 2147 et ss.).

4. *De Consilio a rebus oeconomicis et de oeconomo*

Nova proponuntur praescripta de constituendo Consilio a rebus oeconomicis atque de oeconomo dioecesis. Consilio committenda est directio rei oeconomicae, oeconomo vero executio.

Consilii a rebus oeconomicis, quod in singulis dioecisibus constituendum est cuique praesidet Episcopus dioecisani, erit quotannis rationem apparare quaestuum et erogationum quae pro universo dioecesis regimine anno venturo praevidentur, necnon, anno exeunte, ratio-

⁹ Cfr. infra, sub n. III, 4, p. 230.

nem accepti et expensi probare. Eiusdem Consilii assensu eget Episcopus dioecesanus ut expensas ordinet extraordinarias. Hoc Consilium constare debet tribus saltem personis, clericis aut laicis, in re oeconomica peritis, qui ad quinquennium nominantur, sed ad alia quinquennia assumi possunt.

Oeconomi, qui ab Episcopo nominatur, audito tamen praedicto Consilio, est, secundum rationem a Consilio a rebus oeconomicis definitam, ex quaestu constituto, expensas facere quas Episcopus aliive ab ipso deputati legitime ordinaverint. Oeconomus ad quinquennium etiam nominandus est, sed expleto hoc tempore ad alia quinquennia nominari potest; durante autem munere amoveri non potest ab Episcopo, nisi ob gravem causam, audito Consilio a rebus oeconomicis, aestimandam.

III.

DE CONSIPIO PRESBYTERALI

De Consilio presbyterali praescripta proponuntur, uti patet innixa normis quae habentur in Decreto « Presbyterorum Ordinis », n. 7, atque praesertim in Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 15.

1. *Erigendum est Consilium presbyterale.* In singulis dioecesibus constituatur Consilium presbyterale, coetus scilicet sacerdotum, qui tanquam senatus sit Episcopi, presbyterium repraesentans, cuius est Episcopus in regimine universae dioecesis consiliis adiuvare; eidem praest ipse Episcopus dioecesanus, quippe qui presbyterii sit caput. Consilium presbyterale habere debet propria statuta, ab Episcopo probata, attentis quidem normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

2. *Designatio membrorum.* Praescripta proponuntur quae dum plerumque libertatem relinquunt Episcopo quaedam tamen normas imperativas continent. Ita affirmatur maiorem partem sodalium Consilii presbyteralis esse eligendam ab ipsis sacerdotibus; aliqui tamen sacerdotes, ad normas statutorum, *esse possunt*, aut si id ordinaverit Episcoporum Conferentia, *esse debent, membra nata*, qui scilicet ratione officii ipsis demandati ad Consilium pertinent; alii tandem ab Episcopo dioecesano libere nominantur. Determinatur etiam quibusnam sacerdotibus ius electionis tum activum tum passivum competit ad Consilium presbyterale constituendum. Modus autem eligendi eiusdem membra in statutis

est determinandus, ita tamen ut, quatenus id fieri possit, sacerdotes presbyterii repraesententur ratione habita aetatis, maxime autem diversorum ministeriorum variarumque dioecesis regionum.

3. *Consilii presbyteralis competentia et duratio.* Ad competentiam quod attinet, recipitur norma quae in Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 15 habetur, vi cuius per se Consilium presbyterale gaudet voto consultivo. Exceptiones quidem huic regulae haberi possunt, ita ut revera gaudeat voto deliberativo, scilicet: a) in casibus iure universali statutis; b) si Episcopus dioecesanus ita providerit, in casibus exceptionalibus ab Episcoporum Conferentia definitis. Affirmatur praeterea Consilium presbyterale audiendum esse in causis quae iure universali statutae sunt, aut quae iudicio Episcopi regimen generale dioecesis respiciunt. Quod ut fiat, requiritur ut ab Episcopo saltem bis in anno convocetur, atque praeterea quoties peculiaria dioecesis adiuncta id suadeant, sive de iudicio Episcopi sive de iudicio partis membrorum, non minoris quidem unius tertiae partis, a statutis determinatae.

Ad durationem muneris sodalium quod attinet, norma est Consilium hoc ad tempus, statutis determinandum, constituendum esse, ita tamen ut aut integrum Consilium aut aliqua eiusdem pars intra quinquennium renovetur.

Aestimavit coetus consultorum non esse retinendum praescriptum Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 15, § 4, vi cuius sede vacante Consilium presbyterale cessat a munere. Aliam proposuit regulam, cuius ratione, vacante sede, Consilium presbyterale permanet, sed intra sex menses a capta possessione suae sedis, novus Episcopus debet Consilium presbyterale noviter constituere, quo constituto prius a munere cessat.

4. *Collegium consultorum constituendum.* Cum videatur nec opportunum nec possibile esse ut pro certis causis, urgentioribus praesertim, tractandis totum Consilium presbyterale convocetur, proponitur ut inter membra Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano eligantur aliqui sacerdotes, qui Collegium consultorum constituent, cui competunt munera iure determinata. Attamen, si in certis, praesertim parvis, dioecesibus, Consilium presbyterale non constet plus quam septem membris, ipsius huius Consilii erit munera adimplere quae iure Collegio consultorum competunt.

IV.

DE CONSILIO PASTORALI

De Consilio pastorali item praescripta proponuntur, quae praesertim innixa sunt normis traditis decreto « Christus Dominus », n. 27, et Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 16.

1. *Optatur ut constituatur* Consilium pastorale, ita ut constituatur quatenus sollicitudo pastoralis id suadeat. Huius Consilii est, sub auctoritate Episcopi dioecesani, ea omnia quae *opera pastoralia* spectant investigare, perpendere atque de eis conclusiones practicas proponere.

2. *Designatio membrorum.* Constet hoc Consilium personis quae in plena communione sint cum Ecclesia catholica et quae repraesentant tum clericos, tum Institutorum perfectionis sodales, tum christifideles laicos. Eius membra designanda sunt *modo ab Episcopo dioecesano determinato*, secundum normas ab Episcoporum Conferentia statutas. Quaedam tamen in iure proposito habentur praescripta, videlicet: *a)* maior pars membrorum sint christifideles laici; *b)* personae quae deputantur ad Consilium pastorale ita seligantur ut universa populi Dei portio quae dioecesim constituat revera repraesentetur, ratione habita diversarum dioecesis regionum, condicionum socialium et professionum, necnon partis quam singuli sive cum aliis coniuncti in apostolatu habent, praesertim vero attenta praestantia et prudentia quibus gaudent.

3. *Consilii pastoralis competentia et duratio.* Ut affirmatur in Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », n. 16, voce tantum consultiva gaudet, eiusque competentia solam actionem pastorem respicit. Inde statuitur Consilium pastorale ab Episcopo dioecesano, cuius solius est Consilium convocare eique praeesse, convocari iuxta necessitates apostolatus. Regula tamen asseritur, vi cuius semel saltem in anno convocandum est.

Ad durationem muneris membrorum, statuitur Consilium pastorale ad tempus tantum constitui, et hoc tempus determinandum esse in statutis, quae ab Episcopo dantur, attentis quidem normis ab Episcoporum Conferentia prolatis.

Sede vacante, Consilium pastorale exstinguitur.

Tandem, norma est quod, ubi rationes pastorales id suadeant, Consilium pastorale constituatur, in singulis dioecesibus, ita ut unum Consilium pro unaquaque dioecesi habeatur.

V.

DE CANONICORUM CAPITULIS

Quae hic referuntur praescripta proposita indolem omnino provisoriam habent, et emendanda sunt attentis responsis quae ab Episcoporum Conferentiis dabuntur Litteris a S. Congr. pro Clericis a. 1970 datis.

Secundum praescripta a coetu consultorum proposita, praecipuum Capituli canonicorum munus erit *functiones liturgicas sollemniores* in ecclesia cathedrali aut collegiali persolvere. Ipsius tamen etiam est alia quaedam munera adimplere, ea scilicet quae ipsi ipso iure aut ab Episcopo dioecesano committuntur. Attamen, non pauca munera quae in iure Codicis I. C. Capitulo canonicorum sunt propria, in iure recognito quod proponitur tribuuntur sive ipso Consilio presbyterali sive Collegio consultorum, quod ex membris Consilii presbyteralis ab Episcopo dioecesano constituitur.

Praeterea ordinationes non paucae Capitulum canonicorum respicientes, quae praescriptis Codicis I. C. statuuntur, iure recognito proposito decernuntur statuendae in statutis Capitulorum, quibus ergo maior autonomia in rebus propriis ordinandis committitur. Inde fit ut numerus canonum qui de canonicorum Capitulis agunt sit imminutus.

1. *Munus proprium* Capituli canonicorum imprimis determinatur ratione supra iam definita.

2. *De erectione*, immo et *suppressione*, Capituli canonicorum deinde quaedam traduntur normae, videlicet: *a)* Capitulum cathedrale ubi exstet servandum est, immo, in dioecesibus in quibus non datur, erigendum est si de iudicio Episcoporum Conferentiae regionis id expediat; *b)* Capituli, tum cathedralis tum collegialis, erectio, innovatio aut suppressio, ad Episcopum dioecesanum pertinet, attentis normis ab Episcoporum Conferentia regionis legitime statutis.

3. *Statuta* sua unumquodque Capitulum habeat. Quae statuta ab ipso Capitulo per legitimum actum capitularem sunt condenda et ab Episcopo dioecesano probanda; statuta nec mutari nec abrogari possunt, nisi approbante eodem Episcopo. Horum statutorum, salvis quidem semper foundationis legibus, est determinare ipsam Capituli constitutionem et canonicorum numerum; definire quaenam a Capitulo et a singulis canonicis ad cultum divinum necnon ad ministerium persolvendum sint peragenda; ordinare conventus in quibus negotia Capituli aguntur atque,

salvis iuris communis praescriptis, conditiones statuere ad validitatem liceitatemque negotiorum requisitas; tandem definire canonicorum insignia itemque emolumenta.

4. *Officia quaedam* in Capitulo quae requiruntur ipso iure determinantur: adsit aliquis qui Capitulo praesit; canonicus paenitentiarius nominetur. Alia vero officia ad normam statutorum constituentur.

5. *Collatio canonicatum* pertinet ad Episcopum, audito Capitulo, non vero ad Administratorem dioecesanum, Vicarium generalem vel episcopalem. Episcopi item est confirmare electum ab ipso Capitulo, qui eidem praesit.

6. *Paroeciae ne amplius pleno iure Capitulis* uniantur, statuitur, secundum praescripta quae iam vigent vi Motu Proprio « Ecclesiae sanctae »; item affirmatur in ecclesia, quae insimul est paroecialis et capitularis, instituendum esse parochum, sive inter capitulares electum sive non Motu Proprio « Ecclesiae sanctae », I, n. 21, § 2. In Codice I. C. normae habentur non paucae, quibus relationes inter Capitulum et parochum reguntur, in casu quo ecclesia aliqua insimul est cathedralis vel collegialis et paroecialis. In iure recognito quod proponitur, committitur Episcopo dioecesano ut tales normas statuatur, sed decernitur conflictus, si quidam habeantur, ab Episcopo dirimendos esse, ita ut imprimis necessitatibus fidelium pastoralibus prospiciatur.

7. *De canonicis ad honorem* tandem quaedam tantum habentur praescripta. Episcoporum Conferentiae regionis committitur iudicium de opportunitate instituendi in dioecesibus territorii canonicos ad honorem; et si habeantur, Episcopi dioecesani, non autem Administratoris dioecesani aut Vicarii generalis vel episcopalis est, audito quidem Capitulo, eos nominare, sed numero tantum in statutis Capituli definito.

VI.

DE SEDE IMPEDITA ATQUE DE SEDE VACANTE

1. *De sede impedita* imprimis definitio datur, ut in can. 429, § 1 Codicis I. C. Norma autem proponitur de regimine dioecesis in tali casu, quae differt a praescripto Codicis, ut in omnibus casibus qui occurrere possunt revera huic regimini prospiciatur. Secundum normam propositam, regimen dioecesis, nisi aliter Sancta Sedes providerit, competit Episcopo coadiutori, si adsit; eo deficiente aut impedito, alicui Episcopo

auxiliari aut Vicario generali vel episcopali aut alii sacerdoti, servato personarum ordine statuto in aliquo *elencho*, qui quamprimum a capta dioecesis possessione ab Episcopo dioecesano componendus et singulis trienniis renovandus est. Qui elenchus sub secreto servandus a Cancellario et insimul Metropolitae communicandus est. Tandem, si deficiat aut impediatur Episcopus coadiutor, et elenchus, de quo supra, non suppetat, Collegii consultorum est sacerdotem eligere, qui dioecesim regat. Qui ita, sede impedita, ad interim dioecesim regendam vocatur, pro tempore quo sedes impeditur tantum, in cura pastoralis exercenda obligationibus tenetur et potestate gaudet quae iure Administratori dioecesano competunt.

2. *De sede vacante* quoque definitio traditur, ut in can. 430, § 1 Codicis I. C. Servantur etiam quoad substantiam praescripta canonum 430, § 2 et 3 Codicis, aptatis tamen normis. De eo cui, sede vacante, competit dioecesis regimen, normae novae proponuntur. Imprimis, sede vacante, nisi adsit Administrator Apostolicus aut aliter a Sancta Sede provisum fuerit, regimen dioecesis, usque ad constitutionem Administratoris dioecesani, devolvitur ad Episcopum auxiliarem, et si plures sint ad eorundem promotione antiquiorem, atque deficiente Episcopo auxiliari, ad Caput Curiae. Ipse vero, cui ita committitur regimen dioecesis sine mora debet convocare collegium ad deputandum Administratorem dioecesanum competens. Hoc principio stabilito, definitur quodnam collegium competens sit ad eligendum eum qui ad interim dioecesim regat, et hic vocatur non amplius Vicarius capitularis, sed Administrator dioecesanus, et quidem quia proponitur ut non Capitulo cathedrali vel saltem non uni huic Capitulo deputatio committatur personae quae ad interim regimen dioecesis assumere debet. Collegium competens ad Administratorem dioecesanum eligendum est Collegium consultorum, de quo supra, Collegium scilicet ab Episcopo dioecesano ex membris aliquibus Consilii presbyteralis constituendum.¹⁰ Attamen, in dioecesibus, in quibus iure electionis aut praesentationis Episcopi instituendi gaudet Capitulum cathedrale, electio Administratoris dioecesani facienda est ab hoc Capitulo una cum Collegio consultorum, in unum Collegium coadunatis, et quidem moderante hoc in casu eo qui Capitulo praeest. Intra octo dies ab accepta vacationis notitia, Administrator dioecesanus a dicto Collegio est eligendus. De Administratore dioecesano constituendo, praeterea servantur quoad substantiam praescripta quae de Vicario Capitulari haben-

¹⁰ Cfr. supra, n. III, 4, p. 230.

tur in can. 432, §§ 2 et 3; item servatur quoad substantiam praescriptum can. 432, § 4.

Ad *requisita* quod attinet, ea quae habentur in Codicis can. 433 et 434, plerumque servantur. Statuitur unum tantum Administratorem dioecesanum deputari posse; sed praescribitur ne Administrator dioecesanus insimul sit oeconomus; quare, si oeconomus dioecesis in Administratorem electus fuerit, alium pro tempore oeconomum designare debet Consilium a rebus oeconomicis. De *dotibus* requisitis ut quis Administrator dioecesanus eligatur, servantur quoad substantiam praescripta can. 434.

Ad *potestatem* quod attinet eius qui ad interim dioecesim regit, haec proponuntur praescripta: *a)* qui, sede vacante, Episcopus auxiliaris aut Caput Curiae, ante deputationem Administratoris dioecesani, dioecesim regat, potestate gaudet quam ius Vicario generali agnoscit; *b)* Ipse autem Administrator dioecesanus ipso iure tenetur obligationibus et gaudet potestate Episcopi dioecesani, iis exclusis quae rei natura aut ipso iure excipiuntur. Servantur insuper, aptata quidem, praescripta can. 435, § 3 et 436 Codicis. Affirmatur quoque obligatio Administratoris dioecesani residendi in diocesi et applicandi Missam pro populo.

Ad *remotionem* quod spectat Administratoris dioecesani eiusque cessationem ab officio, servantur quoad substantiam praescripta quae de Vicario Capitulari habentur in can. 443 Codicis I. C. Tandem loco praescriptorum can. 444 Codicis I. C., statuitur haec norma: Episcopus dioecesanus, capta dioecesis possessione, ab iis qui ad interim regimini dioecesis providerint necnon a dioecesis oeconomo adimpleti muneris rationem exigere debet (W. Onclin, *Relator*).

